Sobre que está obligada a su Majestad la Religion de Malta a pagar...

PRO RELIGIONE SANCTI Ioannis Hierosolymitani, & Insulæ Melitæ,

CONTRA

Regium Fiscum Vlterioris Regni Siciliæ.

SVPER

Nullitate significatoriæ contra præfatam Religionem, & Insulam relaxatæ.

PRÆTENDIT Fiscus Religionem & insulam Melitæ teneri ad solutionem quinquaginta septem mille vnciarum monetæ Siciliæ, pro iuribus noui impositi, ratione frumētorum a prædicta Religione & insula captorum, in annis 90. & 91. absque licentia, & promissu Viceregis, tempore Vrgen-

gentissime totius dicti Regni necessitatis, penuriæ & famis, qua innumeri perierunt, & Regnum ipsum multis repletum miserijs, ingentesque pecuniarum summas pro emendo tritico erogasse, & magna damna contraxisse, sic què licito iure significatoriam dictæ quantitatis factam fuisse, illamque debere confirmari, & debitæ executioni demandari.

Quibus non obstantibus (quæ vere non obstant) iure pretendimus dictam significatoriam fore, & esse nullam, & debere illius virtute exacta restitui, pro cuius rei veritate, duo iuris articuli pro parte religionis, & insulæ Melitæ proponuntur.

Primo adducemus, potuisse Religionem & insulā frumentum absque licentia capere, nullamque inde iniuriā fuisse, nec culpam contraxisse.

Secundo ostēdemus, Religionem, nec insulam ad solutionem iurium, seu oneris nouiter impositi pro extractione frumenti, absque licentia non teneri, & consequēter significatoriam fuisse de iure nullam.

Primus Articulus.

Insula Melitæ erat olim, & nūc est pars Regni Siciliæ, & de dominio Regio dicti Regni, & vt talis iuribus capitulis, & constitutionibus, legibus & pragmaticis dicti Regni regitur & gubernatur, & participem fuisse omni fortuna cum toto Regno, testantur Rex Martinus in suis constitutionibus, cap. 2. Ritus in cap. ad tollēdam Pādectæ Regni, vbi enumerantur iura officialium, quæ eis debentur à ciuitatibus & locis Regni, inter quæ connumerantur melita, & gaulos Capitulum Regis Petri Tertij, dum disponit, quòd Insulæ coadiacentes Regno contribuant, & eis cōtribuatur de damnis passis ab hostibus, per aliquem locorum Regni pragmatica Vgonis de Mōcata, Viceregis condita de anno 1510. titul. 29. pragmat.

pragmat.

pragmat.3. Quinimo dum fuisset pro triginta mille florenis semel alienata sub pacto reluendi don Gondisaluo de Monroy, ipsimet ciues se redimerunt, propter quod Regio Demanio incorporari per Regem Alphonsum meruerunt in anno 1397. prout erãt ciuitates Panormi, Messanæ, & Cathaneæ, ita quod de cætero non posset vllo vnquam tempore ab eo alienari, nec separari, vt patet ex dicto priuilegio, ibi: *Dictas Insulas Melineti, & Gaudisij, seu Castra, ciuitates, terras, casalia, ciues habitatores, incolas, & vassallos ipsarum, & signanter iura pignorata, & alienata prædicta in sacro Regio Demanio, Regni Siciliæ virtute præsentis authoritate Regia in hoc maximè nobis prouidimus aggregandas, tornandas, & restituendas, prout ipsas in dicto sacro Regio Demanio, seu numero & consortio ciuitatum, & terrarum ipsius, si & prout sunt & erant felix vrbs Panormi, ciuitas Messanæ, & ciuitas Cathaniæ, authoritate prædicta perpetuo adiungimus, restituimus, tornamus, & aggregamus, proinde ac si nullo vnquam tempore alienatio, & pignoratio prædicta facta fuisset, ita quod de cætero insulæ prædictæ, seu castra, ciuitas, terræ, casalia, membra, & pertinentia earundem per Maiestatem Regiã prædictam, hæredes, successores, & officiales suos quoscumque, à dicto sacro Regio Demanio, nullatenus, ratione, occasione, vel necessitate aliqua, siue causa, possint, & valeant diuidi, disgregari, alienari, pignorari, vendi, vel sub quocumque alienationis titulo, etiam gubernationis, vel Rectoriæ dari, seu concedi in perpetuum, vel ad tempus in quacumque personam cuiuscũquè Dignitatis, vel conditionis existeret, quantũcũque cõsanguinitate vel affinitate, seu gradu quocumquè Regiæ Maiestati coniunctam: semper tanquam membrum & iocale notabile, & insigne Coronæ Regiæ supradictæ ipsi Regio Demanio, tanquam ciuitas Messanæ vrbs Panormi, & ciuitas Cathanæ, seu quorum gradu, & numero, modo, & forma, prærogatiua quoad vnionem Demanij prædicti, semper censeantur, & in perpetuum sint annexa, & in*

inreuocabiliter conseruentur, volentes, discernentes, & concedentes expresse insulis præfatis quod si forte per dictum dominum Regem, hæredes successores in perpetuũ, & officiales suos quandocunque vel qualitercumque sciẽter, vel inaduertenter, seu aliquorum importunitatẽ, vel alia quauis causa, & necessitate Regiæ Curiæ, etiam urgentissima insulas easdem, seu ipsarum altera in futurum contingerit, concedi, alienari, pignorari, vendi, seu ab alio quocumque titulo, quouis modo, seu nomine nuncupato, etiam gubernationis, vel Rectoriæ, vel ad actum alicuius ex prædictis contra formam præsentis priuilegij, quomodolibet concedi, tales vẽditiones, pignorationes, & alienationes, & concessiones, seu actas præuentiones ad aliquid prædictarum, ex nunc pro tunc, & èconuerso authoritate Regia, qua fungimur potissimè de intentione dicti Demanij Regij super hoc, & per relationem dicti Iaymi, & aliter cerciorati, cassamus, reuocamus, annullamus, irritamus, ac si nullatenus factæ fuissent, nec per ipsas insulas, seu officiales, ciues, et incolas eorũdem exequi volumus aut admitti, concedentes eis expresse Regia authoritate prædicta, concessionibus mãdatis ipsis, seu actibus præuentionum prædictarum, possint & valeant, ac eis liceat securiter & impune, semel, bis, & pluries, ac toties, quoties necesse fuerit, & eorum optatis habuerint, respondere, replicare, & etiam de facto resistere manu forti, pro quo in nullum currant delictum, vel inobedientiam incurrere reputentur, & aliquatenus censeantur.

Insuper extant penes innumerabilia priuilegia eidem insulæ concessa, ob incentia, & memorabilia seruitia Regiæ Coronæ præstita, propter quæ meruit gaudere omnibus priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, & libertatibus, quibus gaudent ciuitates Messanæ, Panormi, & aliæ ciuitates Regni, & in anno 1516. fuerunt eidem confirmata omnia priuilegia, & gratiæ eisdem Insulis concessa, & concessæ in amplissima & specialissima forma, & de nouo concessa, & concessæ per Carolum Quintum,

&

Quintum, & Reginam Ioannam matrem.

Et licet postmodum fuerint per eundem Carolum Quintum, in anno 1530. in feudum nobile, liberum & francum, cum omni iurisdictione, mero & mixto imperio, iure, proprietate, vtili dominio, concessę magno Magistro, & conuentui Religionis sancti Ioannis Hierosolymitani, fuerunt tamen eisdem omnia priuilegia reseruata, & signanter facultas extrahendi frumentum ad victũ necessarium sine solutione & licentia aliqua sibi concessa per Regem Alfonsum, in anno vt patet ex declaratione eiusdem Imperatoris Caroli Quinti, facta sub die 9. Martij 1531. fol. 13. & 14.

Demum fuit taxata quantitas 12ŋ. salmarum quolibet anno cum facultate ampliorem quantitatem taxandi, & concedendi quoties necessitas postularet, iuxta eius priuilegia, fol. 15. & 16. & ita declaratum fuit per dictum Carolum Imperatorem, sub die 2. Nouembris, 1535. fol. 19. quę quantitas semper extracta fuit, vt patet ex fide à fo. 31. vsque 47.

Item consuetudine receptum est, quod triticũ, quod insula prædicta à qualibet parte Regni, vel vniuersitate & singularium personarum ipsius Regni terra, marique authoritate propria capiebat, Regnum ipsum ratum habebat, & nil aliud agere curauit, nisi captam quantitatem in compotum referre dictarum 12ŋ. salmarum, quæ Regnum eidem quotannis concedere tenebatur, dummodo dictam quantitatem non excederet: & ita ab anno 1580. citra obseruatum fuisse constat ex fide fol. 127.

Idque adeò verum est, quod eadem quantitas frumẽti, quæ ab insula capta fuerat in dicto anno 1590. & 1591. de qua controuertitur, fuit de more in prædictum compotum 12ŋ. salmarum relata, vt patet ex eadem fide supra narrata, & idem obseruatum apparet cum ciuitati Lipari, quæ est extra Regnum, vt patet ex alia fide, à fol. 65. vsque 124.

Item præsupponitur, quod quantitas frumenti sic, vt

prædicitur capta, & extracta in dictis anno 90. & 91. non fuit vltra summam quam insula extrahere poterat, quinimò defuerunt 1657. salmæ, vt patet fol. 4.

Quibus sic in facto veris existentibus, consequens est dictam insulam licito iure potuisse pro subuentione suorum ciuium, & ne aliàs fame perirent frumentum sibi debitum capere, & quoquomodo potuit eripere, & extorquere à manibus quorumcunque ciuium, & incolarũ dicti Regni, & à quibuscunque nauibus & portibus ipsius, propria auctoritate, glos. singularis in cap. iusgentium, 1. distinctio, quam singularem dicit & ordinariam, Felin. in cap. quoniam, de simon. & in cap. 2. num. penult. de sponsalibus, & in recollectis ad decretum, cap. iustum est, & cap. Dominus noster, 23. q. 2. vbi Archidiac. nume. 1. elegãter notat, quod vbicumque per aliam rem suam, & ius suum consequi non potest, licitum est authoritate superioris arma mouere, bellum indicere ad recuperandum sua, vel etiam furtiue accipere, vt ibi, & in l. nullus, C. de Iudeis. Imò plus dicit, quòd si furto vel violentia rapta habere non posit, potest accipere equiualens authoritate superioris, & nedum Principi qui solutus est legibus seu cõstitutionibus ciuilibus, licet hoc sine alterius authoritate, per text in l. digna vox, C. de legibus. Verum etiam quilibet particularis sua authoritate potest accipere furtiue, dummodo ex tali furto, nec damnum, nec scandalum valeat generari, quia si inde scandalum vel contra vxorem, vel contra quemcunque alium oriretur, tunc debet rem in pristinum statum restituere, secundum Innoc. in cap. olim, el primero, de restitut. spol. & nume. 3. subdit, quod hac ratione excusati fuerunt Iudei, qui spoliauerant AEgyptios de præcepto Domini, 14. quæst. 5. dixit latè Alexand. cons. 135. circa primum dubium, vol. 1. Bald. in l. 2. nume. 71. C. de seruitut. & aqua, Florianus in l. itaque quam legit cum l. si seruus, ff. ad legem Aquiliam, & alij quos refert Petrus Rebuf. in repetitione l. vnicæ, C. de sent. pro eo quod interest, num. 178.

At

At in casu de quo agitur, triticum erat debitum insulæ prædictæ, & licet illud pluries petierit, & necessitatem suam ostenderit, non potuit tamen obtinere, vnde licito iure licentia, & authoritate famis, potius quam magni Magistri sui Principis minorem debitæ quantitatis accepit, & accipere potuit absque alia licentia vel permissu Viceregis, vel Tribunalis Regij patrimonij, stante maxime de negotiatione vel repulsione per ipsum facta.

Secundo, cum prædictis concurrit recepta obseruantia, & consuetudo, quam dicta insula habuit accipiendo triticum sua authoritate vsque ad quantitatem sibi debitam, & permissio seu tollerantia ipsius Tribunalis Regij patrimonij, & Viceregis, ac etiam quantitatis sic acceptæ in cõpotum recipiendi, quæ omne dolum & culpam penitus excludunt: nam dato non tamen concesso quod triticũ nõ esse debitũ, nec vllo modo insula potuisset propria authoritate capere: dicta recepta consuetudo, etiam si esset iniqua illam excussaret à pena, gloss. notabilis, in cap. cum venerabilis, de consuetud. Bald. in rub. C. de fide instrumentor. col. 6. vbi quod consuetudo excusat notarium à falsitate, Ias. in l. 1. ff. quod quisque iur. Paul. Orianus in repetitione, l. 1. ff. de offic. cui mandat. est iurisd. nume. 81. l. igitur, ff. de liberal. caus. vel saltem iusta credulitate potuit induci ad capiendum triticum; postquam fere semper illud cœpit, & nunquam fuit captura de delicto vel culpa aliqua notata, nam putare dicitur quantum ad iuris effectum, quod iusta ratione putatur, vt ait Barto. in l. cum quidam, §. quod dicitur, num. 2. ff. de acquir. hæred. gloss. in l. sed etsi de sua, ff. eod. titul. quæ dicit, quod credulitas ex iustis præsumptionibus est tolleranda, refert & sequitur Hieronym. Butigella, in repetit. l. cum quid, num. 37. ff. si cer. petac.

Tertio, quando omnia prædicta cessarent, ipsamet necessitas & famis dictam frumẽtorum capturam admitteret, & absolueret à quacũque pœna seu culpa, cap. tertio, de furt. ibi: *Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis*

tatis furatus fuerit cibarias, veſtẽ, vel pecus pæniteat. heb domadas tres, & ſi reddiderit nõ cogatur ieiunare, vbi glo. dicit, quod quando magna eſt neceſsitas, non imponitur pœnitentia, quia in neceſsitate omnia ſunt cõmunia, arg. 42. diſtin. cap. 1. & diſtinct. 47. cap. ſicut hi, & 12. quæſt. 1. cap. 2. & 23. quæſt. 7. cap. quod autem, belliſsimè Fortun. Garſ. in l. 1. §. ius naturale, ff. de iuſtit. & iur. num. 30. & 31. vbi ad propoſitum pulchrè deducit de iure primęuo & naturali omnia communia, à communi parente & largitore Deo, nihilque erat à Deo diuiſum, cap. quo iure, diſtinctio 8. deinde deprauato ſtatu generis humani decuit, vt aliqua diuiderentur proprietate, quod Cicero diuinitus loquens in lib. de legibus teſtari videtur, ſicut vna inquit, eademque natura mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohęret, ac nititur, ſic homines inter ſe natura confuſi prauitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubiectos omnes, ſub vna eademque tutela, quod ſi teneretur Deorum profecto vita homines viuerent, ex quo infert, quod furari in extrema neceſsitate licet, quod non dicitur propriè furari, quia talis extrema neceſsitas reducit iſta ad ius naturale, quo omnia erant communia, vt notatur in dict. cap. ſi quis propter neceſsitatẽ, de furt. vbi Hoſtienſ. & Abb. cap. diſcipulos, de conſecrat. diſtinct. 5. vbi Diſcipulos alienas ſpicas commedentes ipſius Chriſti vox innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt: nam omnia fecit Deus ad hominum neceſsitatem, & hæc fuit ratio vniuerſalis Diuinæ prouidentiæ, vt dicebat Salamon in Prouerbijs, itaquè omnia dedit generi humano æqualiter, ſed deinde per ius gentium diuiſa fuerũt dominia, vt in l. ex hoc iure, ff. de iuſtitia & iure, & in dict. cap. quo iure, diſtinct. 8. Ita enim conueniebat generis conſeruationi, ne mali magis poſsiderent, ſed dum homo eſt in extrema neceſsitate poteſt vti illa communi paſsione, quia ratio illius iuris manet in ipſo, ne pereat homo ex defectu eorum, quæ eius cauſa facta ſunt: hæc eſt ſententia Diui Thomæ, 2. 2. quæſt. 66. art. 7.

Et

Et hęc est cõmunis conclusio, quod necessitas non habet legẽ, & habet annexam dispensationem cum legi nõ subijciatur, l. 1. ff. de offic. Consul. vbi glos. in verb. expedire, l. aliquando, ff. de officio Proconsul, l. siquis filio, §. hæc autem, vers. nisi forte latro. ff. de iniusto rupto testam. l. 1. vbi glos. & Doct. latè ponunt in verb. non aliter, ff. de offi. eius cui mandat. est iurisd. refert Hieronym. Cagnol. in repet. rubr. ff. de origin. iur. nume. 5. 6. & 7. Nam quod non est licitum in l. necessitas facit licitum, C. quod non est licitum, de regul. iur. & necessitatis causa multa permittũtur quæ aliàs non permitterentur, vt multis exemplis hoc declarat Francisc. Curt. in repetitione, l. admonendi, ff. de iure iurand. à numer. 241. vsque 247.

Sed si in extrema necessitate licitum est aliena rapere ac etiam furari, multo magis licitum fuit dictæ insulæ triticum aliàs suum, ac sibi debitum soluto pretio capere, nam data penuria licitum sibi fuit pro ciuium subuentione victualia quæcumque capere illaque ad vendendum cogere possessores quoscumque, ad tex. vbi notant communiter Doctores in l. 1. C. de Episcopal Audien. & in capit. 1. de emptio. & vendition. & de communiter testatur Afflict. in proem. constitu. quæs. 3. num. 8. latè Couarr. variar. resolutio. lib. 3. cap. 14. num. 3. post Bart. in l. 1. §. cura carnis, ff. de offi. Præfect. vrb. Roland. à Valle, cons. 62. volum. 2. & Michael. de Gras. in decis. aur. casuum conscient. libr. 2. cap. 112. num. 4. & 5. Surd. in tract. de alimen. titu. 1. quæ. 77. num. 6.

Et ita communiter dixerunt limitari tex. in l. nec emere, C. de iure delibrand. vbi habetur, quod nemo cogitur inuitus ad vendendum, quæ dispositio nedum laicos comprehendit, sed etiam clericos quauis dignitate fungentes, imo Ecclesiam ipsam, vt in clerico Vincent. de Franch. decis. 9. Viuius decis. 28. in Episcopo respondet Menoch. cons. 137. volum. 2. in Ecclesia determinat Ioannes de Platea, in l. 1. C. vt nemini liceat, lib. 10. Francisc. Marcus decis. 542. part. 1. Anton. de Nigris, super constit. Regni Nea-

pol.rubr.de non emend.victual.nume.8.& nouissimè dō Garsia Maſtrill.qui omnes prædictos allegat decis.17.nu. 1.2.& 3.

Quibus non obstat dicere,quod Regnum reperiebatur,tunc temporis in extrema penuria,& quod sic non tenebatur triticum insulæ subministrare, quod pro se & necessitate propria nō habebat ex eo,quia Charitas bene ordinata incipit à se ipso,l.Præses,vbi Bald.& alij,C.de seru. & aqua,vnde versus,*in Albibus illeperit,qui se plus diligit illum*,& ille qui non habet,nisi quātum sibi sufficit ad alimēta,non tenetur alium alere, siue sit pater, siue filius, vel quicumque,prout hęc & alia cōgerit Hippol. Rimin. in repetit.Capituli,quæ in Ecclesiarum nume.71.de constit.repetit.volum.2.fol.mihi 161.Siquidem huic difficultati respondetur,quod dicta oppositio procederet, & locum haberet quando triticum non fuisset insulæ debitū, illudq; peteret ex liberalitate, vel miserationis causa potius quàm ex debito,at insula illud petijt,& accepit ex debito,& pretium soluit,ergo cessat prædicta consideratio, quandoquidem ipsa insula vti pars ipsius Regni debebat & debet gaudere omnis fortuna cum ipso Regno, debuęratquè ei pro rata ad mensuram,triticum,& vitualia communicare,ac diuidere prout faciebat,& fecit cum omnibus alijs partibus ipsius Regni, quod cum non fecerit, merito potuit insula authoritate propria prosubuentione proprię famis, & necessitatis quantitatem vitualium, sibi ad victum necessariam, soluto pretio capere, prout semper de more tempore necessitatis capere consueuerat.

Nec dicatur, quod Regnum tunc temporis maximā patiebatur penuriam ac famem,& innumeri fame perierunt,& coactum fuit ex diuersis mundi partibus frumentum,sibi maximis expensis, & laboribus sibi comparare, propter quod non potuit,nec debuit insula Melitæ illud iam proprijs laboribus ex longi nauigatione redactum è faucibus violenter eripere, siquidem respondetur nullā

vio-

violentiā ex parte ipsius insulæ, nec militū sancti Ioānis intercessisse constat, sed omnem debitam corresponden tiam & amicabilem receptionem, susceptionem, & hospitationem, & pretium tritici prompte ac liberaliter soluerunt, iuxta quantitatem ab ipsimet frumentorum ven ditoribus petitam, adeò quod ipsi nullum grauamen á mi litibus seu insularijs receperunt, quinimo potius lucrum, & vtilitatem, qua de causa libentius ipsis insulanis potius quàm Regnicolis frumentum vendere voluerunt, & gauisi sunt se ad Melitæ portum applicuisse cum suis nabibus. Quapropter si ex dicta frumentorum retentione ali quod detrimentum Regnum ipsum recepisset, prout nō recepit, postquam illud non petijt nec petit, & hoc nihil ad fiscum spectat: deberet vtique sibi imputari, postquam sua culpa hoc accidit, propter debitam extractionem fru mentorum insulæ denegatam contra omnem iustitiæ & æquitatis rationi; atque ita damnum quod quis sua culpa sentit sibi imputari debet, l. quod quis, ff. de regul. iur. l. is damnum, & l. nemo damnum, ff. eodem titu. cap. 2. iūcta glos. & aliorum expositione extra, de constitut. Reg. sine culpa, de regul. iur. in 6. & cap. si culpa, iuncta glos. de iniurijs, & Berengarius Paulachus in repetit. l. vnicæ, C. de sentent. pro eo quod interest, nume. 20. Et consequenter dicendum est, quod cum prædicta insula iure suo vsa fuerit nullam alijs Regnicolis iniuriam fecit, etiam si ex hoc damnum aliquod accepissent, regula nullus videtur dolo facere, ff. de regul. iur. l. tertia, §. his tamen, ff. de liber. homin. exhibend. l. iniuriam, §. 1. ff. de iniu. ibi: *Iuris enim exe cutio non habet iniuriam*, l. si donaturus, §. siquis indebitā, ff. de condition. ob caus. cap. cum Ecclesia vulterana, de electio. ibi: *Quia nō videtur iniuriā facere, qui vtitur iu re suo*, vbi glos. in verb. iniuriam, alios concordantes allegat, & subdit eleganter, ibi: *Quia & si noceat alij, ita vt auferat ei consueta commoda, dum tamen non faciat animo nocendi, non dicitur facere iniuriam*, ff. de aqua pluu. arcend. si in meo, & ff. de damn. infect. l. proculus, & 15. q.

1.cap.illud,& ff.de seruitut.vrban.præd.l.cum eo,& 23.q.2.cap.vltimo,l.Graceus,C.de adulter.Aymon Crauet.cõsilio 406.nu.8.vol.3.& conf.706.nume.13.volum.4.

Secundus Articulus.

EXtractio tritici,quæ fit pro Insula Melitæ, non dicitur extractio per extra Regnum, sed intra Regnum, & pro parte ipsius Regni, & proinde non regulatur legibus & prohibitionibus aliarum extractionum, quæ fieri non possunt,nisi licentia præcedenti, & nonnullis alijs solemnitatibus interuenientibus,nec omni tempore, nec semper,nisi quando Regnum abundat, & sua prouisione sibi ante omnia reseruata,nec potest fieri pro annis decursis & præteritis, at extractio pro insula Melitæ fit omni tempore,& anno quolibet,absque vlla requisita licentia,etiam si non adsit abundantia,sed penuria; habeat vel non habeat Regnum prouisionem necessariam, & sequentibus annis extrahitur quantitas,quæ in præcedentibus non fuit extracta,& consequenter vti res omnino debita non potest denegari,nec differri, nec vllo modo vel casu prohiberi potest,nec debet,prout prohiberi,nec denegari potest alijs partibus Regni,cum ęqualis debeat esse dictæ insulæ,& aliarum partium Regni, fortuna atquè conditio:& sic non est dari casum,in quo teneatur ad solutionem prætensi ius nouiter impositi, quod pręteditur pro parte fisci,illud etenim soluunt illi tantum qui absque licentia triticum extrahunt,quod quidem intelligendum est de illis,qui pro extractione facienda indigent licentia, non autem de illis qui non indigent licentia aliqua,prout est insula Melitæ, in qua non cadit prohibitio extractionis absque licẽtia, & multo minus solutio iuris noui impositi,& consequenter nullo modo potuit contra insulam dicta pœna inferri,nec exigi, sed omnimodo nulla declarari debet,maximè stantibus amplissimis pri-

uilegijs

uilegijs ipſius inſulę ſupra relatis, quibus ſine ſolutione ali qua, nec licentia indulgetur ſibi facultas extrahendi triticũ à Regno, pro ſuo victu neceſſariũ propria authoritate, & ſic lex prohibẽs extractionẽ ſine licẽtia, reſtringitur ad eos qui ſine licentia non poſſunt extrahere, & ſic ad caſus in quibus poteſt verificari, l.1. cum gloſ. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & notatur in l.1. §. nuntiatio. ff. de noui oper. nuntiatione.

Non obſtat quod in anno 1580. ſub die 30. Septembris S. Maieſtas Regis noſtri Philippi Secũdi ſuis Regijs literis præcepit extractionem fieri quolibet anno, mediante licentia, & non aliter, vt patet in proceſſu fol. 133. 134. & 135. ibi: *La ayan de hazer en tiẽpo cada año, ſin dexarlo de vno para otro, y mediante la licencia que arriba ſe dize, pues haziendoſe lo cõtrario en qualquiera de las dos coſas aqui expreſſadas, no ſe las tomaran à cuenta las tratas que hizieren, como por la preſente lo declaramos.*

Huic namquè difficultati faciliter reſpondemus. Primò, quod hic ordo non comprehendit, nec comprehendere poteſt extractionem quæ fit per inſulam prędictam; quæ abſque vlla licentia, & quocumque tempore fieri poteſt, ex ijs quæ ſuperius diximus.

Secundò, quod dictis literis fuit derogatum per alias Regias literas eiuſdem Sereniſsimi & Chriſtianiſsimi Regis Philippi, in anno 1584. quibus permiſit extractionem fieri poſſe pro dicta inſula Melitæ, anno quolibet de mẽſe Septembris, quo tempore aliæ extractiones fieri non poſſunt, donec ſciatur & excutiatur fertilitas anni, & prouiſio ipſius Regni, certa & ſecura remaneat: ac etiam fieri poſſe vno anno pro alio, & in ſequenti anno ſuppleri quãtitatem, quæ extrahi in anno pręcedenti, non potuit, dummodo in compotũ retineatur ea quantitas frumenti, quæ à nauibus in mari accipi contingerit, vt patet ex ipſis Regijs literis, fol. 49. vſq; 53. & fo. 55. vſq; 63. & idem obſeruatũ apparet cum ciuitate Lipari, quæ eſt extra Regnum, vt patet fol. 65. vſque 124.

Ex quo, duo resultant, quæ omnem remouent difficultatem, & iustitiam præfatę insulæ in dubiam reddunt, & nullitatem prætensę significatoriæ ostendunt ad oculum. Primum, quod prohibitiones circa extractionem factæ, & contrauentiones, & noui impositi pœna, vel solutio, non loquuntur, nec loqui possunt, nec locum habere cum insula prædicta, quæ vti pars Regni potest quantitatem sibi debitam & permissam, quãdocumquè extrahere cum refectione vnius anni pro alio absque licentia, & solutione aliquã, & sic quoad insulam Melitæ cessat penitus assumptum fisci, & velle pro iure noui impositi insulã vexare, est scienter & perniciose errare.

Secundum, quod vltra consuetudinem inconcussæ hucusq; ab immemoriali tempore obseruatam accipiendi triticum ex nauibus in medio maris repertis, quæ omnem securitatem præbet, vt eleganter explicat Bald. in l. 1. C. de emancipatio. liberor. ex nume. 8. vsque ad numerum 18. quæ per eadem verba repetit consil. 439. amplius Castrum per totum volum. 3. quibus in locis ad propositum suggerit, quod omnia licitè facit vetustas sicut natura, nec causã quærenda est, l. fin. ff. de aqua pluu. arcend. l. hoc iure, §. ductus aquæ, ff. de aqua quotidian. & æstiua, quia qui petit causam, petit originem, quæ haberi nõ potest in ijs quæ hominum præsentes ętates excesserunt, l. si arbiter, ff. de probatio. & huiusmodi antiquissima possessio æquiparatur priuilegio, cap. super quibusdam, §. prætereà, extra de verbor. signif. l. 1. §. omnia. C. de veteri iure enucleand. & consuetudo ęquiparatur veritati, l. 1. C. de seruitut. & aqua, & secundum consuetudinem, & vsum qui est in similibus obseruari solitus, decidi debet causa, l. 1. C. quæ sit longa consuetudo, cuius verba sunt: *Præses Prouinciæ probatis ijs quæ in oppido frequenter in eodem controuersiarum genere seruata sunt: causa cognita statuet, nã & cõsuetudo præcedens, & ratio quæ consuetudinẽ suasit, custodiẽda est, & nequid cõtra longã consuetudinẽ fiat, ad solicitudinẽ suã reuocabit Præses Prouinciæ:* Mag

na

na enim est consuetudinis, vsusq; longeui authoritas, vt dicit text. in l. 2. C. eod. titu. l. de quibus, ff. de leg. ibi: *Inueterata consuetudo pro lege non immerito custoditur, & hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum, nam cum ipsa leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quod iudicio populi recepta sunt: merito & ea, quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes, nam quid interest suffragio populus voluntatem suã declaret, an rebus ipsis & factis, quare rectissimè etiam illud receptum est, vt leges non solum suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur*, vbi Bald. nume. 7. eleganter notat, quod consuetudo in casu deciso per eam, est maioris potentiæ quàm lex scripta, & in d. l. 2. C. quæ sit longa consuetudo, nume. 4. vbi disputat articulum, an & quando consuetudo deroget legi scriptæ, velècontra, & ibi firmat, quod cõsuetudo vincit legem quando est introducta de scientia Principis, id est, superiore sciẽte & patiente: nam longa pacientia superioris, habet vim priuilegij seu confirmationis, argumen. extra, de verborum significatione, cap. super quibusdam, §. præterea: in casu de quo agitur, non solum concurrit consuetudo à Principe tacite approbata & confirmata, sed expressa ipsius approbatio & ratificatio emanata ex dictis literis Regijs, anni 1584. quibus expressè pręcepit quantitatem, quæ sic ex nauibus capi contingerit in compotum referri, ergo per necessarium antecedens permittit ex nauibus accipi posse, quod quidem magna ratione ac prouidentia introductũ, & permissum est, tanquam vtrique parti conueniens, & minus laboriosum ac damnosum. Nam si verum est dicere, quod vniuersitas Regni præcise tenetur quolibet anno dictam frumenti quantitatem 12 ij. salmarum insulę impartiri vtilius est ei, quod relicto tritico quod est in domo propria reconditum; capiat triticum in medio mari periculo & fortunę expositum, absque vllo damno, & iactura ipsius vniuersitatis Regni & ciuitatum ipsius: quinimò hoc modo pluribus vtriusquè partis indulcetur expẽsis,

sis,& laboribus, & hac de causa permissa & introducta fuit dicta consuetudo,& sic vndique patet pretensionem fisci circa solutionem noui impositi & significatoriam, contra insulam fulminatam omni prorsus iure carere.

Prætereà,dicta significatoria fuit ex abrupto parte inaudita facta,& nullo iudicij ordine seruato, quo casu fuit ipso iure nulla,l.fin. C.si per vim vel alio modo, ibi: *Nec imperiale respōsum,quod supplicatio litigatoris obtinuit, nec interloquutio cognitoris ex quacunque parte innouare possessionis statum, eo qui rem tenet absente permittit; quia negotiorum merita partium assertione panduntur,* vbi glos.in verb.panduntur subdit, non ergo ante litem contestatam fertur sentētia,c.1.de caus.posses.& propric. ibi: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffiniri*,cap.in causis,de sentent.& re iudic. ibi: *In causis quæ Summi Pontificis iudicio deciduntur,& ordo iuris,& vigor æquitatis est subtiliter obseruandus.* Clemen.Pastoralis,de re iudic.l.consentaneum,C.quomodo & quand. iud.& l.prolatam,C.de sentent.& interlocut.omn.iudic. sed fuit quidam abortus,& indignatio Principis, seu Viceregis,qui quoquo animi affectu motu voluit de facto ad dictam significatoriam deuenire, vt interminis Bald. voluit consil. 121.nume.10.vol.3. ibi: *Et ideò putandum Illustrissimum Principem,& serenissimum dominū Regem in hac causa potius processisse militariter, & secundum Regiam potestatem; quam efficaciter secundum iuris rationem,cum eius sententia secundum rationem fori & iuris vtriusque regulis nulla posit ratione defendi; salua semper Regia Maiestate,& petita venia humili & deuota.* Ac ideò pari modo debet de facto reuocari, & annullari, l.si minor viginti quinq; annis, & ibi glos.ff. de euictio.Bald.ac moder.in l.si pacto quo pœnā,C. de pact. Hippol. de Marsil.singul.195. nemo priuandus,nu3. Ioānes Botta cons.26.nume.1.vbi alios allegat l.1.§.hoc edictum,ff. si mulier ventris nomin, Bald.consi.149.in fine, volum.3.

Rursus

Rursus fuit nulla dicta significatoria, ex notorio defectu iurisdictionis magnæ Regiæ Curiæ,& Tribunalis Regij patrimonij,& omnium aliorum Iudicum,&Magistratuum dicti Regni Siciliæ,ex quo insula Melitæ cum integro eius statu exempta est à iurisdictione RegniSiciliæ,& supposita magno Magistro,quoad omnimodam iurisdictionem,virtute concessionis eidem factæ per Imperatorem Carolum Quintum recolendę memoriæ, prout sic declaratum fuit,etiam quoad causas feudales per Catholicum Regem Philippum Secundum,in suo priuilegio,dato Bruxelas die 27. Iunij 1559. ibi: *Orator ad nos a magno Magistro & Conuentu hospitalis sancti Ioannis Hierosolimytani,specialiter destinato, nobis exposuit,quod licet Cæsarea & Catholica Maiestas Imperatoris Caroli Quinti Regis, Parentis, & domini mei felicis memoriæ, insulas Melitæ & Gaudisij,necnon Arcem & ciuitatē Tripulis dicto Conuentui & ordini in feudum nobile liberum & francum cum omni iurisdictione,mero,& mixto Imperio,iure proprietate,vtili dominio concesserit,sibi tātummodo reseruans ius patronatus Episcopatus Militēsis certo modo & forma, cum exhibitione & recognitione vnius Accipitris,seu Falconis, & hac ratione,reliquæ omnes causæ cuiuscūque generis & qualitatis fuerint,in priuilegio concessionis prædictæ comprehensæ sint. Nihilominus tamen prius ab hinc annis fiscus noster Regni prædicti Siciliæ,vltra farum dictum magnum Magistrum & Religionem,vexat & molestat,prætendens cognitionem causarum feudalium dictarum Insularum ad Tribunal magnæ Regiæ Curiæ eiusdē Regni pertinere: Propterea quod in supradicto priuilegio de eiusmodi causis expressa mentio facta non fuerit: Maiestati nostri propterea supplicando, & vberioris cautionis causa,ac ne de cætero lites & contro uersiæ ratione huiusmodi,& aliarum similium rerum, & causarum suscitari valerent, vt omnes causas feudales, omniaque regalia ante dictarum insularum in supra dicto priuilegio fuisse & esse comprehēsas declarare digna-*

 remur.

remur: ea propter nos volentes quam voluntate & singulari animi propensione, quam erga dictam Religionem gerimus omnem dubietatem, & scrupulum tollere a præsente declaratione amouere, tenore præsentium de certa sciētia, Regiaq́ authoritate nostra deliberate, & consulto motu proprio, ac sacri nostri supremi Consilij matura accedente deliberatione, dicimus, decernimus, & declaramus in dicto priuilegio concessionis, & donationis insularum præfatarum Melitæ & Gaudisij, ac Arcis & ciuitatis Tripolis, fuisse & esse concessas & comprehensas cognitiones & totales decisiones causarum feudalium, & earū appellationis cuiuscūq; generis & qualitatis sint: cæteraquè omnia excipiuntur, & hanc fuisse & esse voluntatē Imperatoriæ Regiæ Maiestatis, & nostram, & quatenus est de nouo concedimus & elargimus, non obstantibus quibuscumquè prætensionibus nostri Regij fisci dicti Siciliæ vltra farum Regni, aut cuiusuis alijs, necnō legibus rescriptis, edictis, cōstitutionibus, capitulis, & statutis in contrarium quoquomodo facientibus, vel disponentibus, quibus ad effectum Præsentium, ex nostra Regiæ Maiestatis plenitudine, dispensamus, et dispensatum esse volumus. Quare dubitari minime potest, quin insulæ prędictę exemptæ sint ad iurisdictionem Regni Siciliæ, & suorum Tribunalium; easque immediatè, & omnino subiectas esse iurisdictioni magni Magistri, & suorum Magistratuum. Vnde resultat euidenter, quod per viam iurisdictionis non potuerunt Magistratus Regni Siciliæ de hac causa cognoscere, & fuit iudicium ipso iure nullum, etiā si rite & recte processum fuisset, ex defectu iurisdictionis, iuxta text. in l. fin. C. si à non competent. iudic. cap. si clericus laicum, de foro competent. cap. Romana, §. contrahentes, eod. titul. lib. 6. l. ex quacumque, ff. si quis in ius vocatus nō ierit, l. si quis ex aliena, de iudic. pulchrè Bald. consil. 121. nume. 10. & 11. volum. 3. Nam iurisdictio ista dicitur magno Magistro, & conuentui priuatiue concessa, quoad omnes alios iudices, Felin. in cap. Pastoralis, limitatione

tione

tione 5.de offic.ordinar.probat text.in l.cognitio,ff.de offic.eius cui mandat.est iurisdictio,& notat Angel. in l. testamenta,C.de testament.sequitur Aretin. cons.102. col. 1.Felin.in dict.cap.Pastoralis,limitat.5. & 6. Afflict. decis. 41. & ibi Vrsil.in additione, & sufficit hanc iurisdictionẽ fuisse concessam ad vniuersalitatem causarum, respectũ omnium subditorum dictæ insulæ ad hoc, vt dicatur adempta iurisdictio alterius iudicis cuiuscumquè,Bald. in l. 1.§.vbi autem,num.7.C.de caduc.tollend. Paul. de Castr. in l.siquis cum procuratorio,§.Iulianus,ff.de procurator. Aretin.dict.consil.102.Grammat.cons.108. Angel.in d. l.testamenta,C.de testament. & sic iudices Regni Siciliæ non potuerunt de hac causa cognoscere.

Nec etiam si insulani ipsi consensissent in iudicũ possent prorogare iurisdictionem dictorum iudicum Regni Siciliæ in præiudicium magni Magistri & conuentus, vt est text.in cap.ex transmissa,& ibi Butrius de foro competen.Bald.in cap.Imperialem,§.prætereà,num.19. de prohib.feud.alien.per Feder. dicens, quod vbi iurisdictio est reseruata alicui tanquam superiori, inferior non potest illam declinare,nec alienę se submittere, illam derogãdo, idem Bald.in l.1.§.& post operis,ff.de noui oper. nuntiatio.vbi tenet,quod quando sunt iudices perpetui, qui habent iurisdictionem appropriatam, tunc non potest quis in eorum præiudicium alienam iurisdictionem prorogare,idem voluit text.in l.1.vbi Doctores,ff.de iudic.& Liparol.ad Isern.in dict.cap.Imperialem, §. Prætereà si inter duos,num.79.in vers.submittat,litera H.de prohibit.feud. alien. per Feder. quo loco ex mente Socin. in dict. cap. ex transmissa,col.10.de foro competen.dicit,quod vassallus non potest se submittere iudici extraneo ratione feudi,sed bene ratione eius personę in præiudicium domini, & tunc dominus nõ potest prohibere, qui declarat,secus esse quando in priuilegio iurisdictionis adesset clausula abdicatiua,quia tunc non habet locũ prorogatio in præiudicium domini superioris, adducit Grammatic.qui pul

chrè

chrè in hac re loquitur decis.30.ex nume.10.cum sequentibus, Vincent.de Anna.allegat.59. in fine, vbi concludit, quod qui est iudex ratione personæ potest prohibere, ne subditus alteri se submittat, ex tex.in d.l.1.ff.de iudi. Guid. Papa decis.77.& additio ibi ad eum, & cons.174.vbi declarat conclusionem illam traditam à Doctoribus, & communiter receptam in d.l.1. ff. de iudic. quam exornat ibi Iacob.de Sancto Georgio, & dicit, quod in criminalibus valet prorogatio, domino volente, secus autem domino recusante, pulchrè Capic.decis.9.qui nō solum se fundat ratione rei, sed etiam ratione iurisdictionis priuatiue concessæ, vt patet nume.15.Grammat.dict.consi.108. Dec.in dict.l.debitorum pactionibus, C.de pact. Cardin. Alexan. in dict.cap.Imperialem, §.præterea, de prohibit.per Federic. Marin Frec.de subfeud. lib.2.authoritat. 10. fol.205. Oldrad.cons.206. Boer. decis.114. Crauet. super ritibus magnæ Curiæ, ritu 215.num.6. Afflict.in d. cap. Imperialem, §.præterea si inter duos, num.10. & hac ratione mouentur omnes Doctores, præcipuè Anderas de Isern.in d. c.Imperialem, quam magis communem appellat Iacob. in d.l.1.num.20.ff.de iudic.quod vassallus nō possit prorogare iurisdictionem in præiudicium proprij domini, quia ratione feudi videtur iurisdictio priuatiuè concessa, vt declarat Abb.cons.82.num. 7. vers. quinimo non possent vassalli, vol.2.

Quæ ratio coequalis est semper, etiam in casu quo iurisdictio datur priuatiue, non solum respectu rei, sed etiā respectu personæ, & ita intelligi debet ista conclusio attētis veris terminis legalibus, & ita in terminis tenet Capicius decis.122.nume.6.vbi loquens de clausula abdicata dicit, quod iste casus est quodammodo similis clausulæ clericali, quia ista clausula operatur tantum separationē iurisdictionis, quod etiam de consensu partium non potest renuntiari, allegat glos.in cap.statutum, & in cap. dispendia, de rescript.lib.6.Gemini. in cap. cum de beneficio, de præbend.cod.lib.6.Bald.in l.non dubium, C.de le-

gib.

gib. Doctores in cap. dilecto, de præbend. Vincent. de Franch. decis. 142. part. 1. & melius decis. 417. num. 3. & 8. part. 2.

Et ista exceptio cum reddat iudicium retronullum in quacumque parte iudicij potest opponi, etiam post sententiam: nam licet exceptio declinatoria fori regulariter opponi debet ante litem contestatam, per text. in cap. inter monasterium, de re iudicat. & in l. quidam consulebant, ff. eod. titu. tamen quia iurisdictio in casu de quo agitur non est prorogabilis, vt diximus, exceptio ista potest opponi quādocumque, quia reddit iudicium retro nullum, Innoc. Anton. Abb. Felin. & Salice. adducti à Carolo Ruino, cons. 165. num. 12. volum. 5. & sic etiam hodie opponi potest exceptio incompetentiæ iudicis ad annullandā significatoriam, ex aduerso prætensam.

Nec ex eo quod pro parte insulæ habitus fuerit recursus ad hoc supremum Consilium, super reuocatione & annulatione dictæ significatoriæ potest dici in eius iurisdictionem consensisse, cum illud fuerit per modum querelæ, vt prædictum grauamen tanquam supremum iudicē remoueret, & authoritatem suam interponeret: argum. text. in l. absentem, C. de accusatio. ibi: *Præfectum Prætorio adire cura; quia quod nouo more, et contra formam cōstitutionum deprehenderit pro sua iustitia reformabit*, l. 1. C. de rescind. vendit. ibi: *Aditus itaque nomine tuo Præses Prouintiæ authoritatem suam interponet*: & pro hoc est singularis decis. Bald. in l. fi. de proprietate, num. 3. vers. sed pone quod violentia, C. si à non. compet. iudic. vbi licet in causa feudi, dominus feudi cognoscere debeat: si in ea tamen committitur violentia, quæ habet atrocitatem facti, sicut est quando quis excluditur de Castris cum multitudine gentium, & non proceditur via iuris: potest tunc cognoscere Præses Prouintiæ, propter enormitatem facti, & ne maioris iurisdictioni per minorem derogetur, argumen. l. Magisteriæ, ff. de iurisdict. omn. iudic. & l. per minorem, ff. de iudic. nec mirum (dicit ipse) quia diuersa-

rum iurisdictionum diuersi sunt fines, & exitus controuersię, vt in autenthent. de sanct. Episcopis, §. si vero, crimen.

Nec per hoc dicitur quis alienę iurisdictioni consentire, nec causa coram superiore iudicialiter introducta, capit. ex transmissa, de foro competent. Couarru. variar. resolutio. lib. 1. cap. 4. nume. 8. Osaschus decis. 78. per totam, & alij quam plures quos refert Lancel. de attent. par. 2. c. 20. quæst. 2. num. 38.

Nec etiam per viam represaliarum potuit dicta significatoria fieri, & bona Religionis sequęstrari, seu de facto occupari, siquidem represaliæ sunt quædam species belli iusti ne pereat iustitia, cum liceat suscipere arma, pro defensione rerum & corporis sui, l. vt vim, ff. de iust. & iure, & cap. olim, de restit. spolia. & etiam pro defensione corporis mistici, l. 1. & l. sicut, ff. quod cuiusque vniuersita. nomin. & non possunt concedi nisi ab eo qui de iure vel de facto nō recognoscit superiorem, l. hostis, ff. de captiuis, cap. sicut, de iure iurand. & conceduntur iure diuino, siue gentium, cap. Dominus noster, 23. quęs. 2. & dicitur remedium extraordinarium, quod non conceditur quando adest remedium ordinarium, l. in prouintiali, ff. si cert. petat. pulchrè Bald. cons. 445. volum. 4. vbi tenuit, non potuisse per dominos Venctos represalias concedi contra subditos & confederatos, quos sub sua protectione tenere astringebatur. At in casu de quo agitur, nō adfuit causa legitima, nec iusta, vt ad represalias deueniri possent, nec per Viceregem concedi possunt, & aderat remedium ordinarium per viam iustitiæ, coram suo iudices, nec concedi possunt contra insulanos, qui sunt de Regno licet sint separati quoad iurisdictionem, & non sunt rebelles, sed omni charitate coniuncti, & sub gratia & protectione Regia.

Postremò, quando omnia prædicta cessarent, adhùc ex alio redditur in dubia iustitia ipsius insnlæ & Religionis Melitæ. Nam totius Regni valde interest, & ad publi-

cam

cam eius vtilitatem & conseruationem pertinet insulas prædictas fauoribus prosequi & conseruare:tum quia est propugnabilis totius Christianitatis, prout eam appellauit sua Catholica Maiestas Regis Philippi Secundi,in quadam gratia mediæ annatæ,quàm eidem Religioni contulit,de qua in processu fol.27.colum.2.Tùm etiam quia est fortissima defensio, & munitissima antemuralis securitas,& custodia totiusRegni,qua incolime & immune redditur ab omnibus inimicorum,& communium hostium incursibus,& quotidie ipsorum iram, & bellorum impetus reprimunt,atque sustinent,adeò vt Regni vix conseruari posset,sine ipsius insulæ validissimis viribus & resistẽtia,vt ipsamet rerum præteritarum, ac quotidiana experiẽtia edocet:vnde interest Regni,magis quam ipsiusmet insulæ,ipsius munitio & conseruatio:nam si (quod Deus auertat) ad posse & manus hostium deueniret, totũ Regnum deperiret certissimum esset,quare interest Reipublicæ totius Regni, ne insulæ necessariæ munitiones & victualia deficiant,& cum in hoc vtilitas publica ipsius Regni versetur,debet cuilibet alterius priuatæ vtilitati absq; dubio preferri,cum in eo versetur causa vniuersalis totius Regni,cap.scias,7.quæs.1.cuius verba sunt: *Scias frater dilectissimè aliud esse causam necessitatis,& vtilitatis, aliud præsumptionis,ac proprie voluntatis,non ergo mutat sedem,qui non mutat mentem,id est, qui non auaritiæ causa,aut dominationis,au propriæ veluntatis vel dilectationis suæ migrat de ciuitate ad ciuitatem,sed causa necessitatis,& vtilitatis mutatur: nam plurimorum vtilitas, vnius vtilitati,vel voluntati præferenda est: aliud enim est mutare,aliud mutari,nam aliud est sponte transire, aliud coacte vel necessitate venire,vnde non isti mutant ciuitatem,sed mutantur,quia non spõte,sed coacte hoc agũt non enim bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negat causa necessitatis,vel vtilitatis fieri posse, quoties communis necessitas,aut vtilitas persuadet*;l.actione,§.labeo,ff.pro socio.l.vnica,in fine,C.de caduc.tollend.au-

thent.

thent. res quæ, C. commu. de legat. in authent. de non alie nand. aut permut. §. quia verisimile, vnde dicit Philosophus primo AEthicorum, quod bonum gentis melius est quam vnius hominis, & Diuus Thom. 2. 2. quæst. 128. text. & ibi gloss. in cap. bonæ, el primero, de postulat. Prælat. & in cap. licet, de regularib.

Quinimò non solum præfertur vtilitati priuatæ, sed etiam bono Ecclesiarum, & eius immunitati, ex quo nō vult Papa Ecclesias, neque eorum ministros excusari à custodia ciuitatis, c. 2. de immunitat. Eccles.

Idque procedit etiam cum incommodo aliquorum l. vnica, §. fin. vbi Bart. C. de caduc. tollend. l. vtilitas, C. de primopilo, lib. 12. l. 1. §. sunt qui putant, ff. nequid in flumi ne publ. Oldrad. cons. 227. & Aym. Crauc. cons. 132. nu. 23 volum. 1.

Et de facili indulgencia conceditur quando multorū salus procurator, l. Prouincialium, de ferijs, Signorol. de Homod. in repetitio. l. nemo, nume. 23. C. de sacrosanct. Eccles. vbi voluit etiam Ecclesias opprimi, occupari, & incastellari posse causa publicæ vtilitatis vel necessitatis, cū quo transeunt Archidiacon. in cap. Sanctorum, 10. quæst. 1. Hostiens. Panormita. & communiter alij in dict. cap. cum Ecclesia, de immunitate Ecclesiarum, & Franciscus Arias in tractat. de bello, & bellatoribus, nume. 156. singularis text. in l. 2. C. de nauibus non excusand. libro 11. ibi: *Quod etiam in omnibus causis cupimus obseruari, vt generaliter siquid eiusmodi contra ius, vel vtilitatem publicam in quolibet negotio proferatur, non valeat*, Socin. Iunior. cons. 35. vol. 3.

Publicæ namque vtilitatis virtus & efficatia tanta est, vt ne ipsa offendatur permissum est tolli etiam ea quæ in contractum transierunt, l. quod semel, ff. de decret. ab ordine faciend. & ius per eiusmodi contractum acquisitum auferri, & in l. quicumque, in fin. C. de fide instrumētorum, & iure hastę fiscalis, libro 10. latè Alexander, consil. 216. nec arguendi, numer. 16. cum sequentibus, volumine

mine 2. Hippolytus de Marsil. singul. 531. vtilitas publica restaur. Castald. in tractat. de Imperator. quæst. 115. numero 11. & Belluga in specul. Princip. rubric. 2. numero 3. & 4.

Nec non leges & rescripta Principis infirmantur quatenus publicæ vtilitati cōtraueniant, l. fin. C. si contra ius vel vtilitat. public. vbi glos. & Doctor. & in l. 1. ff. de constitut. Princip. & Bart. in l. omnes populi, quæst. 3. princip. num. 26. ff. de iusti. & iure.

Idque procedit etiam si ex parte fisci vel regnicolarum etiam vtilitas publica in contrarium cōsiderari posset, sicquè concurrerent duę publicæ vtilitates inuicem repugnātes: nam cum maior sit vtilitas publica, quæ vertitur circa conseruationem totius quam partis, ipsa præferenda est: etenim maior vtilitas publica præfertur minori, dict. cap. bonæ, de postulatione Prælator. l. cætera, §. sed si quis, vbi Castr. & alij, ff. de legatis 1. Ripa in l. 1. nu. 100. ff. soluto matrimon. Natta consil. 500. nu. 12. & Petr. Surd. decis. 255. num. 24.

Intercedit etiam vtilitas maxima ac seruitium suæ Regiæ Maiestatis, cuius plurimum interst prædictam insulam Melitæ & Gaudisij arcem & ciuitatem Tripulis conseruari: sunt etenim magni momenti, & in confinibus posita, & interst Regis & Reipublicę illas consistere & incolumes conseruari: Hieronym. Gratus cons. 147. nume. 12. cum sequent. volumin. 2. latissimè Neuizan. consil. 12. inter consilia feudalia Bruni, num. 54. cum sequentibus, Rebuf. cons. 147. nume. 6. vbi etiam subdit, quod interst Principis habere castrum in cōfinibus hostium, vnde melius arcere posit hostes, adeo quod ea causa satis rationabilis est ad cogendum aliquem etiam si esset Ecclesia ad dimittendum Principi eiusmodi Castrum per ea, quę notat Ioannes de Imol. Panormit. & alij in cap. 1. de rerum permutation. & in l. 3. ff. ad legem Iuliam Maiestat. & in l. 1. C. de aquę duct. lib. 10. latissimè Loazes in respons. pro

 Marchio-

Marchione à Velez, in tertio, pro parte oppidi de Mula, fundamento, & Rubeus, Alexander consilio. 146. numero 10.

Exquibus omnibus non solum debet dicta significatoria nulla declarari, & in simul mandari omnia illius virtute accepta, restitui debere, sed etiam fisco, & Viceregi Regni Siciliæ, fauorem & protectionem dictæ insulæ, & totius Religionis plurimum commendari. Salua semper, &c.